Marbeo 27 (1741)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Benedictus P.P. XIV.

Dilecte Fili noster salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum Te latere nequeat, quot difficillimis implicetur curis arduum universi pascendi gregis munus, et quam imbecillę Nobis sint vires ad ipsum administrandum; ex eo tenuitati nostrę commisso, non sine tamen manifesto Dei nutu, commiserationis potius, quam gratulationis argumentum capessendum utique Tibi erat. Verum officium, quo Nos hanc principem Ecclesię Sedem adeptos, adire humanissime voluisti, gratum acceptumque reddidisti commemoratione nostrę veteris necessitudinis, quę Nobis suavissima in memoriam revocat dignas Ecclesiastico Viro eximias virtutes tuas, et modo Paternę caritati erga Te nostrę non parum incrementi affert, incenditque desiderio, ut ejus aliquis Tibi constet fructus, quo luculentius intelligas et pristinam benevolentiam et pręsens obsequium tuum plurimi a Nobis fieri. Quod etiam expertus disces in Dilecto Filio Protonotario Apostolico Antonio Maria, qui Fratre tuo genitus et abs Te Nobis diligentissime commendatus cognoscet, se ob egregia tua merita, et quod optime institutus ad Ecclesiasticę vitę cursum, non mediocrem a Nobis gratiam invenisse. Interim Tibi, Dilecte Fili noster, pignus verę Paternę dilectionis, in omen quoque instaurandę penitus valetudinis, Apostolicam Benedictionem ex intimo corde impertimur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Septembris MDCCXL. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Jo. Vincentius Lucchesinius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876523174-19/fragment/page=0001

1740 16/9

Dilecto filio nro Benedicto tit. SS. XII^rum
Apostolorum Presbro S.R.E. Card.li Odescalcho
nunto –

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbéo 27 (1411)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1876523174-19/fragment/page=0002